



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum**

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem  
omnium, nouamq[ue] editionem translatae, & ab innumeris cùm S.  
Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum  
triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

§. 2. Ostendit hic quòd veram in se contineat diuinitatem: eiusque  
splendor diuersus fuerit à splendore, quò claruit Moyses.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52962)

contulisti & vultum confessi sunt tres Reges, qui te recens natum in incunabilis procidentes adorauerunt, qui caelesti tuo lumine ac praeuina

*Matt. 2. 2.* stella deducti qua fuerunt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudeorum.* Et dum hinc moriens in cruce discessisti, non regno tuo, non maiestate tua nudus emigrasti: ob hoc quippe decreuit, spiritus tuus diuinus, vt te moriente cruce regius titulus affixus remaneret: *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum.* Tecum esse regem contulisti, & vbi cumque esses futurus; tota quoque feret maiestas, dignitas, & diuina praecellentia. Hac de causa

(vt notat D. Cyrill. Alexand.) Iussit Deus

*Exod. 26. 1.* Moyfi: *Essem cortinas, & bysso retorta, & hyacintho ac purpura coccoque his tincto, variatas opere planario facies.* Secum quas arca per itinerum diuerticula conferret: vt intelligamus, quod Christus Dominus noster, Dei arca thesaurorum, secum totam gloriam, maiestatem ac caelestem deferret dignitatem. Nostra lectio habet: *Tecum principium.* Principium, quod absolute illud nomen meretur, est esse diuinum, vera diuinitas, principium sine principio, principium omnis essentiae, vitae, potentiae, & virtutis; & ad illud omnia reuocantur, vt ad primum principium, velut ad mare, omnia flumina, riuus & aquae: *Deus à quo bona cuncta procedunt.* Tecum, Domine Deus inquit Dauid, defers, tenes, concludis veram diuinitatem, quando descendens de caelis te ipsum puellae castissimae visceribus conclusisti, & in mundum puer natus prodijisti. Optime munus venisti, tecum etenim totam Dei contulisti diuinitatem. At in quo Dauid tibi hoc apparuit vnde tibi haec constat veritas: *In splendoribus Sanctorum.* Legunt Sancti & Graeci doctores: *In splendoribus Sancti aium,* id est in splendoribus sanctis, puris, mundis, qui de vobis emanant. Hoc praeter ceteris (inquit D. Hieron.) Christi manifestauit diuinitatem, quam intra se conclusam deferrebat; nimirum, splendores quidam fulgentissimi diuini; qui interdum de eius vultu radiabant, tales, qui soli sufficerent vt illis omnium ad se corda in sequelam & obsequium permouerent. Hinc patet (inquit idem D. Hieron.) nec multum, nec admirandum, quod ad vitam eius vocem, Mattheus surgens eum sit secutus, nec ille solus, sed alij plerique: *Certe fulgor ipse* (inquit) *& maiestas diuinitatis occulsa, quae etiam in humana facie re-*

*lucet, ex primo ad se valentes, poterat trahere aspectu.* Splendores illi Christo tantam conciliarunt auctoritatem (ex praefato auctore) vt quomodo Scythas vt canes exciperet, flagellis elimi-

naos boum armenta, & ditissimos quosque Hierusalem, non ausi fuerint obgannire: *Igneum enim quoddam ac sidereum radiabat ex oculis eius & diuinitatis maiestas lucebat in facie.* Haec sunt (ait Dauid) Domine mi, quae me de diuinitate tua reddunt certiores; illi praesertim, quos in monte Thabor in vultu ac vestibus emisisti, radij fulgentissimi, diuini, reuerendi; & quod vultum tuum contempler soli coaequalem; corpus adeo lucidum, vt de luce, quam emitit, fulgentia, pulchra, regia, tua vestimenta videantur.

§. 2. *Ostendit hic, quod veram in se contineat diuinitatem: eiusque splendor diuersus fuerit à splendore, quo claruit Moyses.*

**L**ucidius explicantur illi splendores, ex illa differentia, quam notat D. Paul. inter Moysen & Christum, quam ad rem expendit D. Basil. Misit Dominus Moysen ad populum duabus illis tabulis lapideis honoratum, quibus inscripta legebatur lex Dei, vt eam populo promulgaret legem imperfectam, & deficientem, tot asperam poenis, minis, ac supplicijs, vt pleno ore diceretur lex mortis, & quod illis hac lege deferrebat, erat mortis poenitentumque praegma terribile: tota enim huic intendebat, vt decerneret, quicumque hoc vel illud fecerit, in hoc vel illo defecit, moriatur. Ita notat D. Paul. illo nomine quo illam inscribit. *Ministratio mortis.* Nihilominus, vt scirent, Moysen esse Dei ministrum, & legem, quam illis deferrebat intemandam, ex suo scriptam mandato, ei diuinum suum splendorem communicatur, contulitque lucem tantae claritatis in vultu eius, vt solis instar splenderet, tam fulgidos eubans radios, vt eum fixa acie populus minime posset intueri, vt necessarium fuerit velum opponere. Porro vt erat lux illa de foris affixa, paulatim deficiebat, euanescebat, obscurabatur, & breui facies eius ad pristinam formam reuertebatur, eratque aliarum similis. Hoc verba illa innunt: *Gloria vultus eius, quae euacuatur;* vt seruo contingit, quod hec forma ardentissime immixtum, & carbonibus candentibus iniectum, tali calore ac splendore inardescat, vt ignitus esse carbo videatur: tamen vt calor est agglutiuus, & ex interno non dicitur incendio, pedetentim remittitur & obscuratur, vt breui instar altius simile appareat. Ita actum cum Moysen. Multis paralangis debuit Christi gloria excellere.

Miss

Misit eum Pater æternus, ut legem promulget, non mortis sed vitæ, gratiæ, remissionis, misericordiæ: suadebat ipsa ratio, ut in aiori portu, gloria ac maiestate mitteretur, quo probaretur verè à Deo missus: *Si Ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent filij Israhel intendere in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, qua evacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus oritur in gloria?* Ministratio, qui ex parte Regis deferrebat minas, pœnas, supplicia conveniebat, ut regali gloria esset insignitus, cum minister tantum esset pœnarum ac suppliciorum, quanto magis, illi qui ab eodem Rege missus ad esset deus, promissis, remissionis acceptus nuntius? *Nam si ministratio damnationis in gloria est, multo magis abundat ministratio iustitiae in gloria?* Si ille, qui venit condemnaturus ac mortis sententiam intimaturus, tam gloriosus apparuit, quanto factus ille qui nobis adest auctor vitæ, iustificationis, redemptionis, gratiæ, sanctitatis & gloriæ gloriosus apparebit? Hæc gloria, quæ missus à Patre filius radiabar, deforis non erat annexa, proinde nec petitura nec ut illa Moysi sensum obsecranda, sed quæ perpetuo resurgeret. Misit illum cum vera divinitate, fonte & omnium gratiarum, ac gloriæ principio: sicut ignis ipsi carboni immisceratus, principium est caloris ac splendoris, qui in eo foris apparet. Ita ut liceat tibi Christo dicere: *Apud te est fons vitæ.* Illic intra te, & tecum habes principium omnis boni, & vitæ gratiarum ac gloriæ fecunditatem: *Tecum principium, Rex piissime, quomodo hæc apparebunt? qua ratione nobis hæc constabunt? In splendoribus Sanctorum. In splendoribus Sanctitatum, q. d. quando de te purissimos ac sanctissimos emittes radios, hoc est, supra omnem naturam, supra omnem lucem & pulchritudinem præcellentes, hoc indicatur his verbis, Splendoribus Sanctitatum.* En illum hodie, illum ex his agnoscite splendoribus, hinc eius veram reverentiam divinitatem. Hinc voluit D. Petrus illam declarare illis verbis, de quibus modo diximus: *Notam fecimus vobis Domini nostri virtutem. At quibus illam notam fecisti? His quæ vidimus: Speculatores facti illius magnitudinis. Quo nomine vocatur id quod vidistis? Non dicit: non enim invenitur nomen idoneum æquale, quod distinctè possit illud declarari, proinde dicit: Illius magnitudinis. Cuius inquis? Nec hoc determinat, sed indefinitum relinquit, ut cuiusvis generis intelligas magnitudinem: Illius magnitudinis, gratiæ, gloriæ, maiestatis, lucis, splendoris, the-*

fauri. Ita ut actus ille congruus fuerit gloriæ Christi, licet non fuerit nisi ut satisficeret promissis suis magnis & præclaris, de divitijs immortalis, vitæ æternæ, gloriæ velibus, requie perpetua, maiestate diuina, regnis cælestibus.

Si vir quispiam laceris velibus, panniculis & fordidis vestes promitteret atticas, polyminas, aulæ a babilonica auro gemmisque intexta, Similitudinibus suavitatis fragrantia, & si quis paxillo nudior, in extremam proiectus necessitatem, promitteret millenos ducatos, & infirmus omnigenus pressus arumnis, tam efficaces promitteret medicinas, quæ omnigenis morbis mederentur, ab audientibus multatularum hæc nunciæ censerentur, & foras ut ridicula eijcerentur. Nihilominus horum fidem faceret, si horum aliquid probaret, quæ prius spoponderat. Si ille qui vili indutus lana, scorum amicos suos evocaret, & vestimenti sui resarcitati sumbriam atollens, illis ostenderet interiorem vestis oram auro gemmisque præterentem iustar solis, si ille qui divitijs addidit, te ad quoddam induceret cubiculum, & auro maioris aperiens cooperculum ostenderet immensam earum quantitatem. Quis non censeret Christum explorandum, si promissa eius compararet eis, quæ in illo notat? vestes addidit regias gloriæ, & opes æternas, venit tamen omnibus fortunis vacuus, velle contrita, ac laceram lanam indutus, quinimo & se palam professus est, omnium pauperum, ipsi vultibus misericordem, & cæli volucris indigentem, cum ubi caput dormiens reclinet non haberet, nec proprijs laribus dominus habitaret.

Abductus in Babyloniam captivus filijs Israhel litteras misit Hieremias per secretarium suum prophetam Baruch, illos præmonens, ut cauti ac prouidi attenderent sibi, ne leuiter fidem eius adhiberent, quæ Babylonij de falsis Dijs suis credenda euulgabant: *Videbitis in Babylonia Deos Baruch aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos. Mt. 1.6.3.* tos audietis predicatores vobis hæc persuadentes, quod impertiri possint vitam, saltatem, opes, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, nudis vestimenta. Num vultis doceri meliora? Illos considerate, & cum noueritis neminem scire posse, quod non habet, quando illorum audieritis promissa, illa libere habete: si enim illi, sibi quidquam non habent eorum, quæ alijs promittunt: qua ratione vobis illa largientur? qua ratione alijs vitam tribuet ipse vitæ priuatus? oculos ipse cæcus? loquelam ipse mutus? securitatem, qui aliorum indiget, solerti custodia? Eadem ratione videntur argumentari potuisse, qui Christum.

Christum audiebant, diuitias, regna, gloriam promittentem, sicut defacto subfauabant illi, qui oculis tantum carnis eum cernebant: *Deridebant eum.* Erat hoc verbum illis oppido familiare, ait *Luc. 16. 14* D. Iohannes oblata horum occasione: *Quomodo potest hic? Qui imo crucifixum deridebant; ex- Tr an. 6. 5. rantes: Se ipsum saluum facere non potest. Si Matt. 27. 42. ipsum saluare ac liberare sit impotens, qua ratione eum credemus fuisse, qui alios saluos fecerit, & nos quoque veniat saluaturus? Ut autem suos reddat certiores, & in illis omnes nos, assumit illos hodie in montem excellum, & vestimenti gloriæ lux auro sit similitudinem, & illam quidam segmentariam, splendidissimam, quæ eius anima vestiebatur gloriosa, ex qua in corpus emanabat; speciem quandam ostendit opum illarum inestimabilium, quas arca sanctissimæ carnis suæ gerebat in inferis, quibus & quis ipse sit agnosceatur, & de promissis eius fides constet indubitata.*

§. 3. *Secundo: transfigurauit se Christus ad omnium nostrum utilitatem, nobis premium proponens, quod dum est excellens, alii dat boui.*

**¶ 7**  
I.  
Præmiū  
excitat  
hominē.  
Ezechiel  
1.

**E**Rat actus hic quoque conueniens, imo necessarius profectui nostro, quod excitaremur & vires resumeremus in ardua virtutis ac penitentis via, quam Christus omnibus prædicabat. Nihil adeo hominem exstimulat, ad quemlibet subeundum laborem, quam oculis cernere sibi propositum premium, aut emolumentum. Mystica & miranda pariter est illa vatis Ezechielis visio. Spectanda illi proponit Deus quatuor diuersis faciebus animalia: hominis, bouis, leonis & aquilæ, omnia alis & quidem sensus volatilia, & ex volatus leuitate videbantur instar fulguris coruscantis: huius summa est præ alijs omnibus in rerum natura velocitas, quippe in iustitiam, teste Christo: *Paret ab oriente vsque in occidentem. In similitudinem fulguris coruscantis.* Miraculum! Quod volat aquila, quis hoc miratur? cum sit ei naturale; quod homo volat, nec hoc tam admirandum, cum quidam hominem depinxerint alatum, vt eius significaretur sedulam diligentiam, vt Dædalum & Icarum, qui vno quosdam videntur pedibus adeo celeres, vt illos volare dicamus. Nec omnino ab omni verisimili alienum est, leonem volare, cum in eius naturali complexione ignis & sol prædominentur, qui cum reddunt celeritimum, vt aliquoties instar passeruli campos percurrat velocissimè. At bouem volare, ò pro-

*Matt. 24. 27.*  
*Ezech. 6. 1. 14.*

digum! Proverbum est. Tam est hoc impossibile, quam quod volat bos, adeo, quod tanta quoque volat celeritate, vt aquilam concomitetur, sensus alis oriatur, & in similitudinem fulguris coruscantis Sidera petat. Desine mirari inquit, erat quippe bos animal plenum oculis, cui ostenderant electrum, id est gemmam pretiosissimam, ac maxime valoris, quæ in se continet auri primi diuitias, purificati pulchritudinem argenti a deo reuoluentis, vt ex se radios emitteret tam claros, vt ijs solis lux obfuscaretur. In hoc electrum omnes suos firmat bos oculos: nec mireris, quod licet grauis sit bos, visens tales sibi proponi diuitias, pulchritudinem, pretium, ad illa volat instar aquilæ, nec corporis sentiat grauitatem quæ eum aut deprimat, aut remoretur. Liqueat quæ omnibus, quod diuitiarum pondus, aut ingens lucrum, aut singularis & excellens pulchritudo grauisimum quemque & pigerimum reddat leuissimum ac diligentissimum, excitet dormiandum, auimam a deo militum Ducis ignatio, alas maxime præpedito, etiam boui, vt celeritate volandi non cedat Aquilæ. Dicit institor qua volat celeritate ad ferias & mundanas: testatur ille, qui fodinam inuenit pretiosam, vbi magnas detexit auri vel argenti thesauros, quos potest in suam redigere potestatem; omnes citi, qui lucro, vel emolumento quodam inuiscantur.

Hæc Christi Domini nostri mens est, vt omnem excutiamus socordiam, vt, sicut postmodum nos hortatur Apostolus, viam tribulationum penitentis ac mortificationis percurramus: *Per penitentiam curramus.* Quæ nobis possibile est currete, *Hebr. 12. 1.* bobus ipsi qui sumus grauiotes, & corpus illud de terra sursum eleuare: *Corpus quod corrumpitur Sap. 9. 4.* aggrauat animam? Insuper cum super illud graue pondus, quod nobis proprium habemus, ipse Dominus aliud nobis multo grauius superimponat, crucem grauisissimam: *Se quis vult venire post me Matt. 16. 24.* (paulo ante dixerat) *abneget semetipsum & tollat crucem suam.* Vi tibi percurrenda, aspera est, & accliuus, cum via sit mortificationis, negationis omnium quas caro petit voluptatum: ferenda tibi crux laborum ac penitentis, vite austeritatis, præsertim verò in aduersis tribulationibus & persecutionibus inuictæ patientiæ. Cum igitur ex parte nostra sumus adeo graues, ad lito deinde tantæ crucis onere, & via sit accliuus superanda, ait: *vt curramus?* Faxit Deus, vt pedetentim grademur. Quis nobis suggeret animos? *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum.* Ille est pretiosum illud electrum, gemma illa summi valoris,

*Hebr. 12. 1.*  
*Sap. 9. 4.*  
*Matt. 16. 24.*  
*Hebr. 11. 2.*